

(Erb, Thür, Hütter) Anno 1563. Spartam Mareschalli Provincialis Austriaci ornavit. (f)

[a] *Archivum Wurmbrand.* num. 144. [b] *Archivum Statuum Austriae,* num. 2556. [c] *Documentum Wurmbrand.* num. 220. [d] *Archivum Statuum* num. 3597. [e] *Ibi* num. 3614. [f] *Documentum Roggendorffianum.*

### CAPUT XVIII.

## BARONES GEYANNII.

**I**llustris Geyanniorum familia in Austria Superiore à seculis aliquot celebris fuit. Conradus Geymann, qui monasterium celeberrimum Sancti Floriani beneficiis auxit Anno 1209. claruit & in Ecclesiæ illius ambitu sepultus est. (a) Heinrici Geymannii memoria Anno 1252. colitur, qui documentum Ulrici Abenspergii Heinrico de Parsberg datum suo Sigillo munivit. (b) Alius Henricus Geymannius Anno 1300. Castrum Gallspach in patrimonio suo habuit illudque templo propriis sumptibus exstructo condecoravit, Uxor ei fuit Erntrudis, Ulrici de Nusdorff Filia quæ post obitum Mariti ab Andrea Pohlheimio Anno 1360. in thorum adscita fuit. (c) Heinrico Geymannio filii duo fuere Johannes & Wolfgangus gnataq; unica Elisabetha, quæ primis nuptiis Wolfgango de Achleithen in Albmegg secundis Johanni de Kirchberg copulata fuit Anno 1383. (d) Wolfgangus Geymann, ex Sustanna de Albrechtsheim, Catharinam genuit quæ Laurentio de Panhalm Anno 1393. nupsit, eique centum quinquaginta libras denariorum in dotem attulit, à quod 60. libras largitionum sponsaliticarum nomine accepit. (e) Johannes Geymann Annam Ulrici de Geldtingen filiam Anno 1364. in matrimonium duxit, (f) ab eaque Pater factus est Christophori Geymannii, Stephani, Magdalena & Barbaræ. Christophorus Dorotheam Onuffrii de Anhang in Keppach filiam penatibus suis induxit Anno 1377. liberosque cum ea procreavit quatuor, Stephanum Geymannum in Gallspach Castellatum in Camer, Martinum Geymannum Anno 1408. clarum, Johannem & Margaretham Johannis Zeller in Zell & Schvverdberg UXOREM Anno 1431. Stephanus Geymannius, Johannis & Annae de Geldtingen filius Castellanus in Attersee Anno 1384. fuit & Benignam de Aheim in Matrimonio habuit, quæ ipsi peperit Christophorum, Barbaræ de Hohenfeld maritum Anno 1418. Gotthardum Anno 1439. celebrem & Bartholomæum Castellatum & Judicem Provincialem in Stahrenberg Anno 1445. &